





XLI
Q. F. F. Q. S.

DE

REBUS MERÆ
FACULTATIS,

Dissertatio Juridica.

Quam

In inclyta Argentoratensium Academia,

PRÆSIDE

Viro Magnifico, Amplissimo, Consultissimo

DN. FRIDERICO DECKHERRO

J. U. D. Pandect. Professore Ordinar. & h. t. Fa-
cult. Jurid. Decano Spectabili,

Præceptore & Promotore optimo,

Solenni disquisitioni die 14. Junii,
instituenda offert,

JOH. PHILIPPUS Krauß/
E Suevis Ravenspurgenfis.

ARGENTORATI,

LITERIS SPOORIANIS.

ANNO M. DC. LXII.

S. R. I.
LIBERÆ REIPUBLICÆ
RAVENSPURGENSIS
PROCERIBUS,

TOTIQUE
AMPLISSIMO ORDINI,

Viris,
Nobilitate Generis, Rerum ci-
viliū prudentia, publico-
rum Eminentia meritorum,

Splendidissimis,

Dominis Patronis,
Venerationi meæ,

Ob summum in Themidis cultores amorem,
Maximam autem in me propensionem,

propius admotis,

Dissertationis hujus inscriptione

devotum animum,

Quem opere potius malle,

Indicio gratiæ referendæ,

declarare,

Ipsisque spes meas commendare,

satago.

Author.





PRÆFATIO.



Civilis sapientiæ (ita vocatur Jurisprudentiæ in *l. 1. §. 5. de extraord. cognit.*) qui se suaq; studia manciparunt, quo irretortis respicere debeant oculis, egregiè explicare videtur Ulpian. in *l. 1. §. 1. ff. de Institut. & jur.* scilicet qui nomen Juris Sacerdotis olim cupiat tueri, non boni & æqui tantum notitiam spectet; sed ut actu ipso æquum ab iniquo separare, licitumque ab illicito discernere valeat, operam industrius impendat. Qui sensum & intellectum legum non solum in thesi cognoscere, sed & in hypothesis prudenter applicare allaboret, adeoq; viri legum & morum, non simpliciter (quomodo quemlibet civem leges nosse oportet *l. 12. C. de jur. & fact. ign.*) sed ad agendum, cavendum, respondendum periti, nomen impleat. Immane quantum igitur errant, àque veræ Jurisprudentiæ tramite longè longeque elabuntur, qui verâ legum notitia haut succincti, in forum involant, causas agunt, cognoscunt, judicant, & modò suos imprægnent loculos, quid loquantur, quidvè agant, parùm pensi habent, sæpiùsq; neminem minus, quam miserum clientulum juvant. Nec tamen minus hallucinantur, vitiaque in contraria currunt, qui studium maximè pragmaticum, usuique dicatum, nuda contemplatione absolvi, falsò opinantur:

A

tur:

2.
tur: nec, quo morales actiones & civiles ad *εὐπραγίαν*
dirigantur, cogitationes suas referunt, sed in futili me-
ditatione argutiarum, nihil ad vitam neque tuendam,
neque ordinandam, promovente, consenescent: sic
in illos invehitur Gellius. quibus palmarius labor vi-
detur difficiles habere rugas, inq; scirpis nodos qua-
rere volupe est. Nimirum Jcti scientia circumscribi-
tur *νόμος καὶ πείρα*, videsis *Nov. 82. in p̄fat.* Quam ipsam
rationem Juventutem Il. cupidam instituendi, futu-
risque necessitudinibus præparandi, olim Rom. spe-
ctasse, *ex dialog. de orator. cap. 34.* qui Tacito vulgò in-
scribitur, videre est, ibi: Juvenis, qui foro parabatur,
imbutus jam domesticâ disciplina, refertusque hone-
stis studiis, judiciorum erat sectator, fori auditor, inque
media luce studebat, atque inter ipsa discrimina, ubi
nemo impune stultè aliquid, aut contrariè dicit, quò
minus aut Judex respuat, & adversarius exprobet, ipsi
denique advocati adspersentur. Hinc nec minus ho-
diè tempus, quod in Academiis provehendis studiis
dicatur, benè collocant, qui maturè ea, quæ in praxi
& usû quotidiano obveniunt, pertractant: suafore &
authore nobilissimo Jcto Anton. Heringio, in eruditâ,
quam præmisit tractatui de fidejussoribus, præfatione
pag. 1. Quod jam olim suo calculo comprobatum ive-
runt Jcti Paulus *l. 25. ff. de liberat. leg.* & Ulp. *l. 1. ff. de su-
spect. tutor.* ea sc. quæ utilia, usu quotidiana, inq; foro
frequentissima plenius esse attingenda. Huichorta-
mento, cui & alterum & illo efficacius Magnif. Domi-
ni Præsidis accessit, obsequium, dum præstare satago;
materiem illam, quam usitatam, tam utilem, nec mi-
nus difficilem, de Rebus meræ facultatis, sub incudem
revo-

3.
revocare, latiusque nonnihil diffundere, operæ vide-
batur esse pretium. Cujus argumenti pondus atque
difficultas, uti meam facile excusat scribendi impoli-
tiam, ita æquitatem omnium ac patrocinium prom-
ptius impetrabit. Sit ergò, Magno Deo & Salvatore
nostro Jesu Christo pro felici & auspicato successu
prius devotè invocato.

THESIS I.

Rem ab ovo & principiis suis arcessimus. Do-
minia rerum distincta esse ex jure gentium, traditur
in l. 5. ff. de Inst. & jur. quod non ita accipiemus, quasi
dominium demum ex hoc jure profluxerit, & cum
Poëtis, quorum & alias apud priscos Jctos non prole-
taria fuit auctoritas, Homeri præsertim & Virgilii. Nempe ubi
vel de vocis alicujus significatu agitur, *ut l. 65. §. 4. ff. de Leg. 3. l. 4.*
§. 6. ff. de grad. Vel ubi de formulis, & conceptis verbis res est,
l. 1. §. 1. ff. de mort. caus. donat. Vel ubi proverbialis locutio usur-
patur. *l. 13. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult.* vel ubi de more aliquo veteri
quæstio est. *l. 1. ff. de contr. emt. l. 9. ff. de supell. legat. l. 16. §. 7. ff. de*
pæn. Vetustissimis mortalium, sine probro, scelere, eoque sine
pœna aut coercitionibus agentium, amicabilem omnium rerum
communione, proprietatis omninò nesciam, vide Virgil. *l. 1. Georg.*
vers. 125. Ovid. *l. 1. Metamorph.* Tibull. *l. 1. Eleg. 3.* adfinge-
mus: (Scilicet de innocentia & lapsu hominis aliqua ad illos ma-
navit fama, quæ veritas deinde degeneravit in fabulas. Uti dedu-
cit Euseb. *in præpar. Evang. 12. cap. 13.*) Aspernatur utique ejusmo-
di communione ipsa quarundam rerum natura, quæ tantum
in abusu consistunt, uti sunt cibus, potus, & cœteræ res fungibi-
les, ut aded in iis non potuisset non locum invenire occupatio,
qua & usus, & proprietate statim acquiritur. Admissent sanè
nonnullæ res, præsertim immobiles, puta arva, arbusta, pascua,
communione aliquam, dum tantum usus ex iis caperetur, pro-
prietate intereà communi manente. Verum cum difficulter
communio hæcce observari potuisset, nam & negligenter:

A 2

natu-

4.
naturale quippe vitium est, negligi quod communiter posside-
tur. l. 2. C. *quand. & quib. quart. l. x.* & in laboribus impenden-
dis & fructibus dividendis lites & rixæ orirentur, v. l. 77. §. 20. *de*
Legat. 2. l. 26. ff. de S. U. P. Dn. Struv. in Syntagm. Feud. cap. 1. apho-
rismo 1. Dn. Franzk. Exerc. 1. quest. 6. Videmus Abelo statim sub
orbis infantiam pecora & pascua fuisse: Kaino agros & sata sua,
de quo etiam affirmat Josephus 1. *apoc. 3.* illum primùm signasse
& partitum limite campum: postmodum successu temporis, &
multiplicato genere humano ferè omnes res, illud ipsam ratio-
nis naturalis, faciliorem, commodiorem & suaviorem rerum
usum in societate civili respicientis, dictamen secuti homines,
divisæ sunt: & hac ratione distinctio dominiorum juri gentium
accepta fertur: nempe quatenus huic vel illi proprietas alicujus
rei speciatim competit, cum sub antea paucitati hominum per-
sufficientem præbente adfluentiam latissimo terrarum campo,
ad res speciatim dividendas, necessitas urgeret nulla. In eam
autem ivisse gentes ex pacto aliquo, sive expresso per divisio-
nem: sive tacito, ut per occupationem, cum Grot. l. 2. *de J. B. &*
P. cap. 2. num. 2. (ubi plura non sine adjunctis privatis opinioni-
bus & hypothesibus gentium, primas rerum origines planè
ignorantium, merisque conjecturis prima tempora sibi figuran-
tium, exponit.) statuere necessum non est: cum homini statim
à Deo jus in quasvis res concessum sit, sive Dominum potentiale
& in actu primo, cujus vi occupare, sibi que appropriare res po-
tuerit omnes: animus quidem rem propriam habendi ex facto
occupationis apparuit, at ad illud factum, tanquam ad funda-
mentum, rerum divisio referenda non est. vide Dn. Struven. *in*
Syntagm. Feud. exerc. 1. aphorism. 1. circa fin. & Dn. Felden. *in no-*
tar. ad Grot. d. l. 2. c. 2. Ex ista itaque occupatione dominium &
possessio, jura in re excellentiora, emerferunt. Inde quoq; jus
hereditarium fluxit, quo res occupatæ ad heredes ejus qui occu-
pavit, devolvuntur. v. Grot. *eod. tract. l. 2. c. 7. n. 3.* postea, ratione
indigentiam hominum plenius supplere cupiente, servitutes per-
sonales & reales provenerunt.

II. Cum autem non omnis ferat omnia tellus, partim
utilitatis ratio, partim necessitatis vis varios contractus, varios
domi-

5.
dominium transferendi modos, dictavit: exinde commercia in-
valuerunt, permutationes rerum primò, postea cuso & invento
nummo, emtiones venditiones instituta, locationes eonductio-
nes & omnes penè contractus. §. 2. *J. de I. N. G. & C.* Præter-
ea & tacitas quasdam alienationes ex signis animi præsumpsit
ipsum jus naturale. Sic qui rem suam ab alio teneri scit, nec quic-
quam contradicit multo tempore, is nisi causa alia manifestè ap-
pareat, non videtur id alio fecisse animo, quam quod rem illam
in suarum rerum numero esse nollet, sunt verba *Grot. l. 2. cap. 4.*
num. 5. de I. B. & P. Quam enim habet æquitatem ut agrum mul-
tis annis aut etiam seculis ante possessum, qui habuit, amittat?
Cicer. de offic. 2. & ejusmodi rationibus statuminantur usucapio-
nes & præscriptiones, ne scil. dominia rerum incerta essent, &
inde nimium lites gliscerent: hinc *Cicer. in orat. pro A. Caciua.*
usucapionem finem sollicitudinis & periculi litium, appellat:
Et historici vetera reposcere vaniloquentiam vocant (locus est in
Tacit. 6. A. 31. num. 3.) *μυθικὰς καὶ παλαιὰς ἀποδείξεις* Diodorus,
referente *Grot. d. l. 2. cap. 4. num. 2.* extant & hujus juris vestigia
in sacris literis, *Judic. II. 26.*

III. Absolute ita considerata usucapio juris gentium re-
quæ dici potest: aut relativè ad Rempubl. Rom. perpenfa, ut no-
vis qualitatibus est induta, multis cautelis circumvallata, accu-
ratusque exposita, meritò Juricivili transcribitur. Sic enim
assolent legislatores civiles illa quæ jus naturale, generaliter &
indeterminatè proposuit, exponere, & ad usum hujus vel istius
Reipubl. pro tempore attemperare: assolent ea, in quibus æqui-
tatis quæstio vertitur, multis repagulis munire, & legum cancel-
lis includere: hoc enim utilius multo est, quam Judici multa
permittere; quia qui legem præficit is rectam rationem præfi-
cit: qui verò hominem, is sæpè belluam, propter affectus & ani-
mi perturbationes, quibus transversus agitur. Cum lex sit
mens affectu & appetentiâ carens, secundum nobile effatum
Philosophi, quod est *lib. I. Rhetor.* Ita statim *ex l. 12. Tabularum*
varia usucapionum facies, tum ratione rerum, tum temporis,
fuit, *vid. pr. 1. de Usucap.* Postea Justinianus terminos nimis ar-
ctos produxit, & constituit, ut is qui bona fide & justo titulo rem
possi-

possideret, mobilium usucapionem non nisi triennio conficeret, immobilium verò inter presentes decennio, inter absentes, hoc est, in diversis Provinciis habitantes, vicennio. *Argum. l. un. 3. de usucap. transform. l. fin. C. de prescript. long. temp. l. pen. C. de usufr. l. 13. C. de servi* Nisi titulum habeat à male fidei possessore, & verus Dominus ignoret suum jus, & alienationem factam, quo casu 30. annorum defensio spectabitur, *Auth. male fidei. C. de long. temp. prescript.*

IV. In præscriptionum materia major cernitur varietas, major legum cura, dum quædam Actiones sex mensium spatio terminantur, ut Actio Redhibitoria. *Argum. l. 29. §. fin. de Edil. Edict.* quædam annali exceptione repelluntur, ut Actio injur. verbal. *l. 17. §. 6. ff. & l. 5. C. de injur.* quædam biennali; ut actio doli, *l. fin. C. de dol. mal.* quædam quadriennali; qua excluditur privatus, cujus res à fisco est alienata. *l. 3. C. de quadr. prescript.* & contra fiscus à privato, qui possedit rem bona fide ex bonis vacantibus fisco nondum nunciatis, acceptam *l. 1. C. de quadr. prescript. & §. 6. l. de usucap.* quædam quinquennio, quo pertinent præscriptio contra querelam inofficiosi testamenti, *l. 8. §. fin. cum l. sequent. ff. de inoffic. testam. l. 34. in fin. C. eodem.* Præscriptio ex L. Julia contra accusationem adulterii, *l. 11. §. 4. ff. ad L. Jul. de Adult.* Exceptio *ἀναγυγίας* ex jure veteri. *l. de lit. obl.* Præscriptio contra petitionem separationis, *l. 1. §. 13. ff. de separat.* De quibus omnibus pluribus agit Cujac. *de divers. temp. prescript. & term. cap. 20. & seqq.* adde & Dn. Hahn ad Wesemb. *titul. de divers. temp. prescript. verbo, præscriptiones quoque temporales.* Quædam deinde res planè præscribi non poterant, quales erant res furtivæ & vi possessæ, ex rigore legis Atiniæ, quæ ejus quod subreptum est æternam jubebat esse auctoritatem. *Gellius lib. 17. Noct. Att. cap. 6. l. 1. ff. de usucap.* Nec est, quo inducamur hoc jure Codicis amplius non obtinere: siquidem *l. 3. & 4. C. de prescript. 30. vel 40. ann.* loquuntur de casibus regularibus non de exceptis: alioquin & res sacræ eo tempore præscriberentur. At *l. 1. §. 1. de annal. except.* loquitur de actione pœnali furti: non de vindicatione rei furtivæ.

7.
V. Cæterum ne immortalibus obscurisque litibus securitas possessionum cujusque rei, & quies Reipubl. perpetuò turbaretur, primò Theodosius Magnus sive senior, ut vult Gujac. 18. *observ.* 26. & in *alleg. comment. de præscript. temp. cap. 30.* Vel ut alii, Theodosius minor, præscriptionem 30. vel 40. annorum introduxit, qua omnes actiones personales, & mixtæ, quæ nimirum olim erant perpetuæ, immortales, sempiternæ; nulla habita ratione bonæ vel malæ fidei, aut tituli, extinguantur: quam constitutionem humani generis patronam vocat Cassiodorus, & ejus peremptorias rubricas omnem litem absorbere ait Sidonius, notante Cujac. *d. l.*

VI. Hanc constitutionem postea etiam Imper. Justinianus probatum ivit, nisi quod contra regulam. *in l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annorum.* traditam, aliud quid in hypothecaria actione constituerit. *in l. 7. C. eod.* ut siquidem creditor agat eam adversus tertium & extraneum possessorem, paulò ante posita regula ex *d. l. 3.* obtineat: sin contra debitorem ipsum, heredemve ejus non nisi 40. annis finiatur, & sic vincula pignoris durent personali actione submota, quod dicitur *in l. 2. C. de luit. pign.* (qui textus autem non respicit illam *l. 7.* uti quidem putabat Accursius; cum sit Gordiani, illa autem denuò ab Justiniano introducta: quamvis Mudæus in *tract. de pignor. sub titul. quib. mod. pign. solv. num. 71.* ipsius Codicem inscriptionem Justiniani habere, credi velit; Magis cum Cujac. *5. observ. 32. & 15. observ. 23. ad l. 1. ejus titul.* referendam ex eaque explicandam duco: quando nimirum unus heres debitoris pecuniam pro parte suâ hereditaria solvit, ita enim principalis obligatio pro parte tollitur, & nihilominus pignus in solidum manet obligatum. vide Bachov. in *tract. de Action. disput. 3. thes. 37.* ubi pro more Tribonianus vapulat.) cur autem & quomodo hoc fiat anxie disquirunt Interpretes. Conf. Dn. Franzk. *Exerc. 13. quest. 13.* Dn. Schröter. in *resolut. difficilior. II. in lib. 8. Codic. comprehensarum. tit. de luit. pign.* Dn. Struv. in *Syntagm. Jurispr. Exerc. 26. num. 40.* Mudæum *loc. cit.* & Balduin. *de pign. cap. 20. sub fin.*

VII. In hac præscriptione autem, cum non tam favor aut factum præscribentis: quam odium potius seu negligentia
non

non agentis attendatur, per text. express. in can. placuit. caus. 16. quest. 3. Dentur autem quædam res in quarum non usu negligentia præsumi possit nulla, cum in merâ cujusvis voluntate positæ sint & arbitrio, præscriptionem, qua facultas ista intercipiatur, allegari non posse, vero verius est: quod non tantum civili, sed & naturali jure congruere pronunciat. Grotius l. 2. cap. 2. §. ult. ut igitur neque hoc neque illo jure ex talium actionum non usu & intermissione, illarum abdicatio suspectari queat.

VIII. Sunt autem Res meræ facultatis Actûs, quorum exercitium libero cujusvis, capacis, relictum est arbitrio, quousq; non intervenerit prohibitio, cui per tempus lege definitum paritum sit. Hæc sive definitio, sive descriptio, nominetur, si non ad regulas Logicorum amissitata est, diversæ harum rerum naturæ imputes. Vocabulum autem rei, quod varios induit significatus, & per quod quicquid est, de nominari potest, restringimus hic ad illam significationem, qua factum aliquod denotat: Dicuntur enim res quædam juris; quædam facti: hoc modo iterum dupliciter: vel primò absolutè: uti ædificare merum factum dicitur l. 98. §. 6. ff. de solut. & aliquod venire dicitur esse in facto. l. 46. §. 1. de V. O. Deinde, secundum quid: nempe, quod quidem suo genere jus est, quia tamen factum habet adjunctum, idè etiam facti dicitur uti usufructus. l. 1. §. 9. ad L. Falcid. Imò servitus generatim dicitur facti. l. 5. ff. de V. O. Nam usus servitutis est factum ipsum euntis, agentis, aquam ducentis, fruētis, l. 1. ff. quand. dies usufr. leg. eod. Servitus ipsa autem juris est. Ex genere hujus descriptionis intelligis, nobis cum rebus, quæ simpliciter & absolutè juris sunt, nihil rei esse. Porro dicitur, esse actus quorum exercitium libero cujusvis arbitrio relictum sit: quæ differentiam insinuant, quâ actûs isti ab reliquis, quibus certus terminus, intra quem possint exerceri, latius autem non porrigi, descriptus est, abeunt & disjunguntur. Cætera descriptionis & effectum, & contraria suggerunt, res enim meræ facultatis potissimum hinc in argumentum eunt, ut quæ illarum sit vel non sit præscriptio, in notescat.

IX. Actus ejusmodi, quos quis prout adlubescit vel exercere, vel intermittere potest, potissimum i. ex ipso jure Naturali, Gentium & Civili, prout quisq; illorum jurium capax est, (unde etiam hoc vocabulū in definitione apparet.) & prout illa jura varios actūs circa varias res indeterminatos reliquerunt, fluunt. Supra deductum est quomodo res in proprietatem singulorum transcriptæ sint, cum autem res quædam dentur, quarum genius ab ejusmodi proprietate abhorret: vel quod sub dispositionem legis prorsus non cadant, sintque extra dominium negativè, quales sunt aër, lumen solis, aura, quo nomine etiam cæteris magna cum ambiguitate annectuntur, §. I. de R. D. & aliis locis parallelis. Vel quod sufficient communi omnium usui, ut aqua profluens, mare, & per hoc littora maris. (Non tamen hinc inferendum est quod mare dominii prorsus non sit capax: qua de controversia acriter inter se digladiati sunt Grotius de mari libero, & Seldenus de mari clauso. vide *disput. Ampliff. Dn. Bœclerti, cui titulus; Minos maris Dominus. & Dn. Struv. in Syntagm. Feud. cap. 6. aphorism. 7.*)

- - - *Usus communis aquarum est,
Nec solem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas, in publica munera veni.*

Ovid. 6. *Metamorph. v. 350.* Non possunt non omnium promiscuo usui patere: sic licitum est res vacuas, & in medium omnibus positas arripere, & quocunque tandem tempore occupare: cum enim natura omnia hominum gratia condiderit. l. 28. §. 1. ff. de usur. Sine injuria quod ante nullius est, occupantis fit: §. 12. l. de R. D. Unde Vespasianus vacuas areas occupare & ædificare cuicunque permisit, teste Sueton. in *eius vit. cap. 8.* Ita mare omnibus patet. l. 13. ff. commun. prad. In littore cuique liberum est casam ponere, retia siccare, & ex mari deducere. §. 5. l. de R. D. feræ bestię, volucres & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo & terra nascuntur, cuivis occupanti cedunt. §. 12. l. de R. D. vide Dn. Tabor. *Racemat. Crim. in Analyt. exposit. 169. constit. crimin. v. 7.* & Dn. Rebhan. in *paralip. Mejerian. Decad. 5. quest. 4.* (Cujus argumento etiam in *quest. 2. ejusdem Decad. ex l. 55. ff. de 4. R. D. eum, qui in loco sive fundo alieno contra prohibiti-*

B

nem

nem venetur, id quod capiat, suum non facere, defendemus.) adde Grot. de his & pluribus aliis, quæ hominibus communiter competunt, l. 2. cap. 2. de I. B. & P.

X. Nec officit huic assertioni, l. 7. ff. de divers. temporal. præscript. ubi dicitur: Si quisquam in fluminis publici diverticulo pluribus annis solus piscatus sit, alterum eodem jure uti prohibet. Quando enim dicitur piscari esse rem meræ facultatis, adeoque illi præscribi non posse (semel annoto ex Hodoger. Jur. Magnif. Dn. Rebhan. Patroni & Præceptoris mei observanter devenerandi, pag. 259. in jure nostro non legi actionem vel rem præscribere, nisi quod in l. 5. C. de injur. actio injuriarum præscripta legatur: pragmaticis autem solenne est quartum casum adjungere huic verbo, nam secundum Bartol. teste Ludov. Viv. l. 1. de corrupt. discipl. de verbis non curat Jctus.) hoc supponitur, nisi alius sit in ejusmodi juris possessione: quo de casu loquitur Marcianus in ista. l. 7. sicuti enim is qui ædificat in littore soli Dominus est, quamdiu ædificium manet, uti idem docet Marcianus in l. 6. ff. de R. D. ædificio autem diruto locus ad pristinam causam revertitur: & sicuti olim venatio nihilominus manebat communis, & liberi arbitrii actus, etiam si Dominus illum, qui fundum ingredi volebat arcere poterat, cur non idem quoque dicemus de piscaturâ, diverticulo, quo alter solitus est piscari, pristino juri restituto? quo de loquitur l. 45. ff. de usurp. & usucap. ibi vide Cujac. & C. I. A. eod. tit.

XI. Nec etiam obest, quod hodiè jus venandi subditis vel prorsus ademptum sit; vel non nisi paucis, & multis quidem limitatum conditionibus, concedatur: adeoque nec quoad venationem suæ spontis quis amplius sit. Reponimus etenim, non quidem præscriptionem, qua utiq; Magistratui huic juri firmando opus non est: nec occupationem, ut in præcedenti specie: nec servitutem constitutam: sed jus optimum maximum Imperii: cujus vi illa subditis sub pœnâ etiam capitali adimi potest. vide Dn. Franzk. Exercit. 4. quest. 2. Est enim venatio jure gentium cuivis libera non positivè, sed permissivè, h. e. hunc acquirendi modum probat quidem jus gentium, verùm cui jus sit hoc acquirendi modo uti, pendet ex permissione vel prohibitione legis

legis Civilis : quanquam enim lex Civilis nihil potest præcipere, quod jus naturæ prohibet, aut prohibere quod præcipit, potest tamen naturalem libertatem circumscribere, & vetare, quod naturaliter (hoc est absoluto gentium jure, seclusis circumstantiis & causis singularibus,) licebat. Grot. *in de I. B. & P. l. 2. cap. 2. num. 5.* quod etiam in usu maris, fluminum, insularum recensatarum, liquet: quæ hodiè omnia certâ ratione ad publica Imperii & Principum bona, ac regalia minora, quæ vocant, referuntur. Quæ de re latius agit Dn. Struv. *in Exerc. feud. VI.* quem jam non extcribo.

XII. Insuper addo quod Jason notat *in l. beneficium 3. num. 56. de Constit. PP.* Allegationem Jurispublici esse meræ facultatis, adeoque civibus nullo tempore adimendam, *per l. 25. C. de decurion.* Esset igitur longo temporis tractu alicubi usurpatum ne quarta Falcidia detraheretur; non tamen quis illud jus falcidiam detrahendi allegando, nihil ageret: Distinguendum videlicet inter facultatem agendi, & inter frequentiam agentium vel non agentium. vide *l. 1. §. 2. de migrando.* Cujacius declarat hanc rem exemplo actionis furti: hæc, inquit, nullibi ferè usurpatur, sed de furto plerumque criminaliter agitur: neque tamen actionem furti pro abrogatâ habere debemus, cum nullâ lege & sententia, hæc agendi ratio alicubi prohibita sit. vide Magnif. Dn. Tabor. *in Racemat. Criminal. 1. thes. 68.* Dicis, quæ erit ergò vis consuetudinis, quæ legis vicem obtinere, legem abrogare, vim legis habere dicitur? Respondemus distinguendum esse inter consuetudinem præter vel extra legem introductam, quæ causas legibus non definitas definiat, secundam quam judici pronuntiandum. *per l. 32. ff. de LL.* quo etiam pertinet *l. 1. C. quæ sit longa consuet.* & inter consuetudinem legi expressè contrariam, quæ in legis abrogationem non trahenda, nisi superiore sciente invaluerit, quod cum consuetudo sive potius mores sint facti, probandum, maximè illam contradicito judicio obtinuisse. *l. 34. ff. de LL.* nec etenim Principem, publicum jus ratione suffultum tam facilè tolli passurum, credendum est. vide *l. 2. C. quæ sit long. consuet.* alias non consuetudo, sed rectè usurpatio putabitur. *l. 13. §. ult. ff. de injur.* Sunt & aliæ res Universitatis,

circa quas ejusmodi actus, jure civis liberè exerceri possunt, ut: Theatra, Stadia, Basilicæ. *l. 38. §. 5. ff. de V. O. Viæ publicæ, forum, fontes, Curia, aquæductus. §. 6. l. de R. D. conf. Magnif. Dn. Rebhan. in hodoget. Jur. pag. 197.*

XIII. Secundò vi dominii quilibet (omniò suū juris, sanæ mentis, par rerum administrationi.) liberè circa res suas versatur: justum est enim sua cuique committere. *l. 8. C. de Jud. & Coelic. & suæ quisque rei moderator & arbiter. l. 22. C. Mandati.* hinc glossa in *C. qui luminibus II. de S. V. P.* Si per mille millia annorum, ait, in ariolâ meâ, quæ juxta tuum palatium fuit, non ædificavi, non tamen possum prohiberi. *l. cum eo 9. d. t. & l. alius. 8. C. de servit. & ag. & Jason. in l. quo minus. 2. ff. de fluminib.* infert; Subditos qui per longissimum tempus iverunt ad molendum in molendino Domini sui, vel ad coquendum panes in forno Domini, ex hoc in futurum non posse cogi, ut ibidem molant vel coquant. Hunc in censum omnes refero contractus, quos circa res suas quilibet inire potest: emere nimirum, vendere, locare conducere, cuius Domino ordinariè liberum est. Huc etiam cum Grot. *l. 2. cap. 4. num. ult. de J. B. & P.* conducas omnia illa jura, quibus actus is qui exercetur directè non est contrarius, sed ei inest ut pars suo integro: veluti si quis per centum annos cum uno duntaxat vicino societatem habuerit, non prohibetur etiam cum aliis habere. Uti autem vi dominii societatem inire, sic etiam ab illâ possum abire, quodcumque lubet, ita ut uterque haud dubiè liberetur. *§. 4. l. de societ. l. 7. C. eod. modò tempestivè & bonâ fide fiat. vide l. 65. §. 3. ff. pro soc.* hinc, quamvis coheredes per 30. annos, hereditatem ut communem possederint, non tamen præscriptione sublata erit familiæ eriscundæ actio. *l. 14. §. 2. commuu. divid. l. fin. C. eodem. l. 70. pro soc. conf. C. I. A. lib. 10. tit. 3. th. 22.* Immo etiam si inter socios convenerit ne à societate abeat: nihilominus tamen ei renunciari poterit. *l. 14. & seqq. pro soc.*

XIV. Huic ipso innititur responsum in *l. 2. ff. de Jure Patronat.* quod liberti homines negotiatione licitâ prohiberi à patronis non debeant. *conf. l. 18. eod. tit.* Et hinc etiam in domo mea puteū possum aperire, licet eo aperto venæ putei vicini præcidan.

cidantur. l. 24. §. fin. & l. 26. ff. de damn. infect. & ædes altius tol-
 lere vicinique lumina obscurare mihi integrum est. l. 9. de S. V.
 & l. 8. 9. C. de servit. l. 26. de damn. inst. Quamvis & hoc ipsum
 variè etiam ipsius Magistratus publicis utilitatibus & compen-
 diis inservientis, imperio, coarctari possit. Ita Judices contra-
 ctus quoslibet celebrare non queunt. argum. l. 46. ff. de contrah.
 empt. l. un. C. de contract. Judic. Et quamvis nemo rem suam co-
 gatur vendere. l. 11. C. de contrah. empt. l. 16. C. de jur. deliberand.
 tamen hæc regula nonnunquam perdit officium suum, propter
 egregium & publicum, & commodum privatorum atque com-
 pendium. vide l. 1. C. de episc. audient. §. ult. l. de his qui sunt sui vel
 alien. jur. §. ult. l. de donat. Quis in suo ad cælum usque (si ita
 licet dicere) ædificare potest. l. ult. §. 4. ff. quod vi. nisi vetus ædi-
 ficiorum forma obstet. l. 1. C. de servit. & ag. l. 12. §. 1. C. de adific.
 priv.

XV. Tertio etiam pactione fieri potest, ut actus aliquis
 liberè & pro lubentiâ exerceri queat, nec quo minus hoc sit, ulla
 temporis præscriptio obtendi possit. Ad penso generalis illius
 regulæ momento, quæ habetur in l. 41. ff. de minorib. ibi: unicui-
 que licet contemnere, quæ pro se introducta sunt. l. pen. C. de
 pact. Nov. 94. cap. 2. ubi dicitur: quod quisque renunciare validè
 possit legis auxilio. Quamvis etenim leges abrogari aut muta-
 ri privatorum opinione, aut conventionem haud possint. l. 27. pr.
 l. 45. §. 1. ff. de R. I. ne quidem sententia judicis. l. 19. ff. de appellat.
 in thesi nimirum: attamen in hypothese juris quæsitæ renuncia-
 tionem valere, multis docetur locis. vide omninò l. 7. §. 14. l. 31.
 l. 46. ff. de pact. l. 46. ff. ad L. Falcid. adde Cujac. in l. 38. de pact.
 Actum agis, quando regeris, præscriptionem ob bonum publi-
 cum introductam esse, adeoque illi renunciari non posse: re-
 spondemus etenim, ad publicam utilitatem saltem per conse-
 quentiam, ad privatorum autem principaliter spectare. confer
 Wesembec. in Parat. titul. de usurp. & usucap. num. 14.

XVI. Succedat igitur quæstio, utrum pacto de retro ven-
 dendo, quo venditori concessa sit potestas, rem, cujus dominium
 in emtorem translatum est, pretio restituto redimendi, l. 12. ff.
 de prescript. verb. l. 2. C. de pact. inter emtor. & venditor. præscribi
 possit?

possit? Ne autem iumultuariè agamüs, præmittimus: quod hoc pactum vel ita ineatur, ut certo tantum tempore liceat redimere: & hoc iterum dupliciter; nempe quatenus certum tempus adjicitur vel ut terminus à quo, sive ut usque ad certum tempus res non possit redimi, postea autem in perpetuum: vel ut terminus ad quem, sive, ut usque ad certum tempus res possit redimi. Vel ita initur ut quando cunque liceat redimere. Quando tempus adjicitur ut terminus ad quem, res in aprico est. Quando autem primo & ultimo modo hoc pactum fit, omnem præscriptionem cessare putamus. Hujus autem sententiæ veritatem statuinamus 1. illis quæ in præcedenti thesi dicta sunt. 2. per l. 2. C. de pact. inter emptor. & venditor. 3. argum. l. 31. §. 22. ff. de Edilit. Edict. ubi Jctus respondet: si aonvenerit ut in perpetuum redhibitio fiat, conventionem hanc valere. Si itaque actio redhibitoria, quæ regulariter tempori sex mensium utilium à die contractus vel promissionis inclusa est, l. 19. §. fin. d. 1. voluntate contrahentium, quæ tanquam regula Lesbia attendenda, latius extendi potest, non video quid hic, ne fiat, remoram injiciat. Præterea illæ adjectiones; in perpetuum, semper & quando cunque volet liceat rem venditam repetere, excludunt præsumptionem negligentia, qua præscriptio nititur. Et hoc etiam in praxi observatur, uti annotat Dn. Hahn. ad Wesembec. tit. de rescind. vendit. ubi etiam præjudic. Facultat. Jurid. Helmstad. refert, verbis; Wosern dann derselbe Widertauff oder Pfandschafft zu erweisen / möchte dagegen keine Verjährung vorgewendet werden. Vide etiam C. J. A. lib. 18. tit. 1. thes. 54. & ibi alleg. Et hæc de retractu conventionali seu pacto de retrovendendo: secus est in retractu legali sive jure congrui (quod certis personis præcipue congruat, ita dicto, non satis congruè: æquè ac nomen competentia: quod inficetum appellat Magnif. Dn. D. Tabor. in tract. de altero tanto, sub præfationis init.) quod illi præscribatur anno & die argument. 2. Feud. 26. §. Tit. nisi aliud moribus introductum sit.

XVII. An autem Actionum, quibus spatium, quod vivant, 30. vel 40. annorum definitum est, præscriptio statim ab perfecto contractu currere incipiat, an autem amplius quid interve-

intervenire debeat, quo non interveniente in nostro collocatum sit
 arbitrio, eas denuò movere: sive quis sit terminus à quo currat
 actionum præscriptio, quaritur. Supra dictum hanc præscriptio-
 nem ideò constituendam Imperat. animum induxisse, ne cumu-
 lus litium aliarum super alias acervatarum exurgat: & deinde
 negligentia non agentium puniatur. Cum igitur e. g. in pura
 stipulatione statim actio nata sit & confestim agi possit. §. 2. l. de
 V. O. hoc autem intermittatur usque dum 30. anni effluxerint,
 videtur utique ab ipsâ contractus perfectione, & nativitate
 actionis, cui nimirum præscribitur, computum esse ducendum
 & præscriptionem inchoandam. Ut ita statuendum sit: (cæ-
 teris tamen paribus) ex quo tempore actio cum effectu intentari
 possit, ex illo etiam cursum præscriptionis incipere: cum tum-
 demum negligentia alicui imputari possit. vide l. 1. §. 2. C. de an-
 nal. exception. hinc in contractibus ex die initis, etiam si statim
 actio nata sit in actu primo, verum cum exactio non nata sit,
 sive actio in actu secundo: demum, si dies venerit, præscri-
 ptionem initium sumere, rationis est. Dicis magnam hoc in-
 volvere iniquitatem, debitorem, quem tamen Creditor non sta-
 tim cum sacco adire debeat. l. 10. ff. de solut. à momento perfe-
 cti contractus id spectare, quo alter pecuniâ defraudetur: Re-
 spondeo, non tam debitorem, quam legem hoc ipsum facere, &
 multâ quidem cum curâ & dispectione, nec enim temporis spa-
 tium nimis adstrictum est, nec desunt modi, quibus ejusmodi
 præscriptio sufflaminari queat. Et fingamus nonnunquam
 in hypothese aliquid iniqui contingere, cogitandum tamen est
 hoc in multis aliis etiam usu venire, cum utilitate publica re-
 pendatur, quod in singulos peccatur. Tacitus 4. Ann. 44. 7. de
 quo loc. consulendus est Ampliff. Dn. Bœcler. 1. Annal. 9. §. 11.
 pag. 170. & seq.

XVIII. Protollimus jam pedem ad quæstionem variis
 animis hucusque disputatam, an debitor, ne creditori debitum
 offerat, ut pignus luat, temporis aliqua præscriptione & lapsu
 sum moveri possit? Speciem ex Borch. tract. de usur. cap. 6. n. 10.
 ita figuro; Titius mille aureos mutuò accepit à Sempronio, &
 Sempronio pignori dedit fundum vel simpliciter vel ea lege, ut
 Sem-

Sempronius fundo uteretur frueretur in vicem usuraram. Titius intra 30. vel 40. annorum pignus non luit, hoc est, pecuniam debitam non solvit, nec pignus repetit: post 30. vel 40. annos vult luere, itaque Creditori Sempronio pecuniam offert, & petit, ut Sempronius fundum sibi restituat, Sempronius pecuniam accipere recusat, dicens: Titium jus luendi pignoris, cum intra triginta vel quadraginta annos pignus non redemerit, non amplius habere. Quæritur quid juris sit, utrum Titius post 30. annos pignus adhuc luere, & soluta pecunia per actionem pignoratitiam pignus repetere possit: an verò Titio obstet præscriptio 30. vel 40. annorum? In affirmativam sententiam concesserunt jam olim Bulgarus in *l. cum notissimi. §. 1. de præscript. 30. vel 40. annor.* hujus vestigia deinde etiam legit Accursius in *l. 11. ff. de usurp. & usucap. Wesembec. part. 1. consil. 2.* Bachov. in *tract. de pignor. l. 4. cap. 20.* & plures alii, ita ut Neguzant. *tract. de pign. part. 5. memb. 3.* hanc sententiam dicat esse communem. Argumentum illorum præcipuum est tale: Omni actioni natæ præscribi potest: actio pignoratitia simulac contractus perficitur, nata est. E. Majorem probant *ex l. 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Minorem, quod posita causa etiam ponatur effectus: posito igitur contractu pignoratitio, tanquam causâ, necessum esse poni etiam effectum, actionem nimirum: non quidem eam quæ sit in exercitio, sed quæ definiatur à Justiniano in *pr. l. de Action.* jus persequendi & agendi. Quod etiam repouunt *ad l. 9. §. 3. ff. de pignor. action.* ubi Jctus ex fertis verbis dicit, quod debitum omne solutum oporteat esse, ut nascatur pignoratitia actio: enim distinguunt inter nativitatem actionis, quatenus ex ipso contractu eo momento, quo celebratus est, producitur: & inter nativitatem actionis, quatenus cum effectu potest intentari: posteriori modò Jctum actionem natam esse negasse, haud verò priori: argumento simili in actione ex emto, quæ statim ubi de re & pretio consensum, nata est, & tamen nondum oblato pretio, emtori negatur. *l. 13. §. 8. ff. de Actione Emr.* Nec quicquam ages dicendo, pignoris obligationem merè esse accessoriam, & quæ casum tantum principalis debiti respiciat: Sufficere enim regerent contractum pignoratitium

adef.

adesse, ex quo actio statim nasci possit, non obstante quod contractus sit accessorius.

XIX. Aliam hujus litis pacationem molitur Neguzant. tractat. de pignor. 6. membr. 2. num. 19. ubi dicit: contra actionem pignorantiam incipit currere præscriptio, à die natiuitatis illius (quam cum est solutum & satisfactum creditori, ori-ri putat, eodem numero.) sed respectu juris offerendi, quod competit debitori ante ortam pignoratitiam, benè potest currere præscriptio contra tale jus offerendi, quandò competit per modum actionis: quia scilicet traditum est pignus creditori. Verùm hanc distinctionem prorsus nauici esse, qui non videt, ollas lippit. vide Bachov. dict. tr. l. 5. cap. 20. ubi causam erroris hujus aperit.

XX. Negativam sententiam tutantur quamplurimi, quæ etiam Cameræ Imperialis frequentioribus calculis adprobata est, teste Gail. 2. observat. 18. Mynsinger. Centur. l. observat. 2. Ex antiquis est Rogerius, quem secutus est Martinus, antiquus glossator. Post Martinum & alii complures in Rogerii sententiam iverunt. vide I. A. C. tit. de usucap. thes. 8. Suffragatur etiam vir summus, Cujacius in Parat. Cod. titul. de præscript. 30. vel 40. annor. & in Comment. ff. de usucap. in l. pignori. Grotius etiam in tractat. de J. B. & P. lib. 2. cap. 4. num. ult. quo inq̄ est. Accinit etiam Jus Electorale Saxon. part. 3. constitut. 1. cujus verba adscribere haud pigrabimur: Es seind in dieser Fragen bey den Rechtsgelehrten zweyerley Meinungen/ dann etliche halten/ daß die Verjährung statt haben solle/ die andern aber schliessen darauff/ daß keine præscription darinnen zuläßlich sey. Dieweil dann Vnsere Juristen Facultäten und Schöppenstühle derenthalben auch ungleich gesprochen/ So haben Wir ihnen durch Vnsere verordnete Räte auffertlegen/ und sie mit einander vergleichen lassen/ nach dieser opinion, so an dem Keyserlichen Cammergericht und Vnserm Obern Hoffgericht zum Theil gehalten/ zu erkennen/ nemlichen/ das in beyden Fällen des Pfands und Wiedertauffs halben/ eine Verjährung und præscription durchaus/ auch hundert- und mehr-jährige nicht statt habe/ sondern zu ieder Zeit ein Verpfand oder wieder-
E
läuff.

kaufflich verkaufft Gut/ Krafft und Inhalts des auffgerichteten
erwiesenen Contracts/ gelöset oder wieder verkaufft werden möge.
adde etiam Dn. Carpzov. *part. 2. cap. 1. definit. 3. num. 1. & seqq.*
Dn. Franzk. *Exerc. 5. quest. 6.*

XXI. Et hanc sententiam negativam etiam verio-
duco: non equidem eo argumento quod hic actio nata non sit,
indeque illi præscribi nequeat, ejus enim sum prorsus opinio-
nis, actionem simul contractus initus sit, natam, argumentis in-
ductus quæ supra recensui: nec etiam quod creditor sit in malâ
fide, quam rationem communiter inculcant Dd. quæ ex veriori
sententia in longissimi temporis præscriptione non requiritur.
Wesembec. *consil. 5. num. 31.* Franzk. *Exercit. 5. quest. 6. num. 4.*
(quamvis & hæc ipsa ratio non prorsus nullius momenti sit, cum
secundum Dd. in materiâ præscriptionum standum sit juri Ca-
nonico, quod in illâ de peccato agatur. Gail. 2. *observ. 18. num. 10.*
Wesembec. *part. 1. consil. 2. num. 38.* illud jus autem nullam præ-
scriptionem admittat, quæ bonâ fide deficiatur. *cap. fin. de præ-*
script. cap. possessor. de R. l. in 6. Quamvis alii regulam illam pro-
cedere in iis casibus declarent, in quibus possessio & usus requi-
ritur, non autem in cæteris quæ sola negligentia amittuntur:
adeoque actiones personales 30. annorum spatio amitti etiam
de Jure Canonico, cum ad præscriptionem illarum non factum
possidentis dispici soleat, sed negligentia non utentis sufficiat,
arbitrantur. Axiom. Barbos. *lib. 1. cap. 5. axiom. 5.* cujus litis au-
tem me Palæmonem non constituo, cum ex hypothesi loquar.)
Nec etiam quod ad effectum præscribendi non possideat argu-
ment, l. 16. ff. *de usurpat. & usucap.* cum hoc quidem in usucapio-
ne rei pignori datae efflagitari, extra dubium sit, l. 13. ff. *eodem.* ob
ipsam hanc rationem, sc. quod non suo nomine possideat. l. 22. §. 1.
ff. *de noxal. action.* tum ob malam fidem, quam omninò exesse
jubet usucapio: secus ac in præscriptione longissimi temporis,
in qua utrumque non attenditur. Sed potius idem, quod, cum
præscriptio ob negligentiam, uti sæpius dictum, non petentium,
quibus tamen parata esset hæc facultas, introducta sit, hæc au-
tem debitori exprobrari nequeat, cum non nisi debito omni
sola.

soluto cum effectu agere possit: creditor autem debitum em-
 nere, variis, quæ in numerato habet, remediis, debitorem ad so-
 lutionem urgere, & nolentem distractione pignoris juxta. *l. fin.*
C. de jure domin. impetrand. cogere possit: pœnam potius negli-
 gentiæ creditor quam debitor dare debeat. Dicis, eò pignora-
 titiam actionem tolli, quod cum potuerit debitor pignus luere,
 & sibi gignere pignoratitiam actionem, ei tamen per 30. annos
 nunquam in mentem venerit: replicamus etenim cum Cujac.
in supra alleg. loc. leg. nimirum pignori. ff. de usurpat. & usucap. Si
 filiofamilias eò non obstat præscriptio, quod non egerit, cum id à
 patre facilè impetrare posset, *l. i. §. ult. C. de annal. except.* mul-
 tò minus eò debitori obstat, quod pecuniam non solvit. Ex-
 pedior enim plerumque agendi quam solvendi facultas est. Vi-
 deat deinde Bachovius quomodo hæc duo non adversis fronti-
 bus concurrant; Leges aspernatas esse asperitatem legis com-
 missoriae idèd, quod res pignoris nexui supposita, communiter
 valore suo debitam pecuniam superet, & egens pecuniæ coactus
 quasi ab iniquo creditore adducatur, ut in hanc duram legem,
 quâ ob non solutum suâ die debitum, dominio excidat suæ rei,
 consentiat: quam rationem ipse agnovit *in tract. de pignor. l. i.*
cap. 15. num. 7. & leges sancivisse creditore non agente intra 30.
 annos, vel ab adversa parte debito non soluto, debitorem pignus
 amittere, ut ita lex commissoria locum fortiteretur, contra *l. ult.*
C. de pact. pignor. quum tamen non desit color, quo legis com-
 missoriae asperitas saltem nitigetur, ipsa nimirum expressa pa-
 ctio, qua præscriptio omninò deficitur. Imò diceret hoc idèd
 fieri in præscriptione, quod debitor sua die pecuniam non solvat,
 & inde sua culpâ damnum sentiat: sed quod retorqueo, majore
 enim cum ratione hoc in excusationem, vel potius prætextum
 pacto commissorio excusando sumi potest, uti accuratè cogitan-
 ti non difficulter patebit. Adde Dn. Franzk. *ead. in quest. num.*
12. Borch. de usur. cap. 6. num. 11. Ex his deductis in facili est col-
 ligere, quod luitio non tam jus sit, quam facultas posita in arbi-
 trio debitoris ut quominus ea utatur, quandocunque volet,
 nulla ratione impediri possit: uti habent verba Cujac. *in Parat.*

Codic. de praescript. 30. vel 40. annorum. Secus est in oblatione, qua posterior creditor priori debitum offert, ut in ejus locum succedat, cum enim hoc habeat Jure Actionis, quam habet, & quidem cum effectu, contra debitorem, sicut omni ita & huic juri praescribitur. *l. 4. C. de praescript. 30. vel 40. annor.*

XXII. Quarto pro rebus merae facultatis agnosco actus, qui ex jure aliquo, quo quis gaudet, essentialiter & necessario manant, quousque ejusmodi jus durat & praescriptum non dicitur. Sic subditi dum alicui summum Imperium & τὸ κῆρυγιον in Republ. adscribunt, sibi autem obsequii gloriam fatentur relictam: certè nullo temporis lapsu à tributorum ac censuum solutione immunes fient & exsortes: dum enim Majestatem in aliquo venerantur, jura Majestatis seu summi Imperii, (uti Livius vocitat) tanquam partes potentiales, Majestatem, ceu totum potestativum constituentes, ipsi ereptum ire & denegatum illibatà conscientia non possunt. *l. 6. de praescript. 30.* & principis five illorum, qui, pro formulà regiminis, omnia in Republica possunt, potestas aeterna & salva manet, *c. cum non liceat. de praescript. c. cum coniugat. de for. compet. e. irrefragibili de offic. judic. ordin.* Et hac ratione etiam Jurisdictio pro re merae facultatis à *Wesemb. in Parat. titul. de Jurisdict. num. 14.* habetur: quatenus altero non utente sua jurisdictione, eo ipso alter non praescribit vel exercet actus jurisdictionis, cum in hujus potestate sit illud facere vel non, uti ibidem. explicat Dn. Hahn. Sic Vasallus à servitiis, quæ debet, licet per centum annos illa non exhibuerit, immunis non erit, nisi interveniat quid, quo possessio juris exigendi servitia evertatur, e. g. si Vasallus servitia Domino denegat, & per 30. annos dominus acquiescat. *Bocer. tractat. de praescript. feud. cap. 2. num. 70. & seqq. Balb. de praescript. quest. 12. num. 15. Gail. 2. observ. 60. num. 40.* Quod etiam verum est in Emphyteuta, qui etiam si longissimo tempore, puta 30. vel 40. annis, Domino canonem non praestiterit, tamen ab ejus solutione non liberatur. Quamdiu etenim durat causa possessionis rei in emphyteusin data, tamdiu etiam viget illa facultas canonem exigendi, quæ inde formaliter emanat.

XXIII.

XXIII. Hucusque perpendimus, quæ sint res meræ facultatis: sequitur jam Prædicatum, sive quod de illis dicatur: nimirum illis præscribi non posse. In hujus probationem quidem certatim exscribitur. *l. 2. ff. de via public.* Ibi equidem Jctus viam publicam non utendo amitti non posse, pronunciat: ast ratio quod sit res meræ facultatis, nullibi apparet: potius respicere Jctum *l. 45. ff. de usurpat. & usucap.* crederem, ubi publica loca usucapioni obnoxia non esse, habetur: ratio ipsi nomini inest. Hinc Senec. *in epist. 86.* Negant Jurisconsulti quidquam usucapi, quod publicum est. Ratio autem dubitandi ex *l. 10. l. 18. ff. quemadmod. servit. amitt.* elicitur: cum enim via privata, qua quis jure servitutis uti potest, per negligentiam amittatur, quis faciliè, ut idem in viâ publica statueret, adduci posset: cui dubitationi Jurisconsultus obviam ire, illamque exemtam voluit. Lucem huic explicationi affundit *l. II. C. de Servit. & ag. ubi Impp. per agrum quidem alienum, qui servitutem non debet ire vel agere vicino minimè licet.* Uti autem viâ publicâ nemo rectè prohibetur. Rationem autem veram, quam ipsa etiam definitio suppetit, supra adsignavimus. Wesembec. quidem *in Commentar. Codic. de Jurisdic. num. 72.* scribit; sibi hanc propositionem, rebus meræ facultatis non præscribi, non placere, quid enim, ait: an non jus agendi est facultatis liberæ? an non adeundi hereditatem? & similia, quibus tamen omnibus constat præscribi: an non hic abutatur propositione illâ, quod illis, quæ sint meræ facultatis, non præscribatur: mihi dicere, religio est, videant perspicacioris ingenii homines. Sanè exempla quæ affert, eo ipso quod in illis præscriptio obtineat, nomen rerum meræ facultatis tueri non possunt: & facultatis dicuntur saltem ratione facti aut actus, sint verò non facultatis respectu juris, & alias nulli actioni præscribi posset, cum semper sit in mea liberâ facultate movere actionem (scilicet quoad factum) minimè verò de jure. Nobis solum erit dicere, rerum meræ facultatis, eo quo supra modo nobis explicatarum nullam currere præscriptionem, ne temporis quidem immemorialis sive centum annorum (quamvis non planè idem sit tempus

memoriam excedens, cum centenatio, quamquam sæpè hæc non longè abeant: quia communis humanæ vitæ terminus sunt centum anni: quod notamentum est Grotii in *sæpius dicto tract. de I. B. & P. lib. 2. cap. 4. num. 7.* quamvis ex Jurisconsultis, ut ibidem in notâ subdita patescit.) cum eadem utrobique militent rationes ut idem quoque jus esse debeat. *Wesembec. part. 1. consil. 2. num. 53.* supra Constitut. Elector. Saxon. *Scrupulum ex l. 5. §. 6. ff. de dol. mal. & met. exception.* ubi actio de dolo idè certo tempore finiri dicitur, exceptionem autem de dolo perpetuò competere, quod actor in sua potestate habeat, quando utatur suo jure, is autem cum quo agitur, non habeat potestatem, quando conveniatur: perpensa diversitas rerum & ab invicem discrepantia, nullo negotio evellet.

XXIV. Hæc autem procedunt, nisi, ut ad contraria etiam delabar, intervenerit prohibitio, cui per tempus lege defectum paritum sit. Ita post *Dd. gloss. in l. 11. de S. V. P. & l. 1. C. de Servit. & ag.* Sic, verbi gratia, ire ad molendinum hoc vel illud, res meræ facultatis est, quod si enim quis per longissimum tempus iverit ad hujus vel illius molendinum, Domino molendini vel molitori, licet ejus intersit propter reditum eò venisse, competere jus præscriptione quasi quæsitum, vigore cujus alterum ut ibi perpetuò molat urgere possit, dici nequit: nisi illum ab alterius mola arcuerit, eique prohibitioni acquietum sit, uti notat *Schneidevvin. ad §. possidere. 1. de Interdictis. num. 28.* Ex eo enim tempore res, quæ hæctenus in merâ prohibiti facultate & voluntate erat, ab eo qui prohibuit, jus tanquam sibi competens, præscribi potest. Succollat hanc sententiam. *l. 18. §. ult. ff. quemadmod. servit. amitt.* ibi: qui jus tuum non interpellavit: Servitutes urbanæ non usu non extinguuntur in manifesto est, verum hoc tamdiu valere, quamdiu præscribentis non intercesserit factum contrarium, cui pareatur, ex *cit. leg.* elucet. Et hoc procedit licet semel tantum contradicendum sit, modò patientia subsequatur. In numerato enim sunt remedia quibus tuum jus assertum eas. Cum etiam plenius cuivis consultum sit à *Justiniano per l. 2. C. de Annal. except.* qua constitutum ut denuncia-

cia-

ciatione, & citatione judiciali, aut si ea haberi nequeat, extrajudiciali, testatò facto quælibet præscriptio interrumpatur, triennii, longi & longissimi temporis. Omnibus aliis quæ de longi temporis præscriptione, vel 30. vel 40. annorum curriculis constituta sunt, sive ab antiquis legum conditoribus, sive ab Ipsius Majestate, in suo robore durantibus *ead. l. sub fin. Gail. 1. obs. 74. num. 20. 21. 22.*

XXV. Brevem jam catalogum rerum quæ non sunt meræ facultatis subjungimus, cujusmodi sunt. 1. quæ non sunt collatæ in puram & liberam alicujus voluntatem: nam ejusmodi præscribuntur. *l. 1. ubi Bartol. ff. de nundinis. Wesembec. lib. 1. consil. 2. num. 94. conf. omninò Gail. 2. observat. 60. per tot. 2. res meræ facultatis non sunt res, quæ sunt in judicium deducibiles, & quarum nomine sit actio, quæ cum effectu intentari queat. Wesemb. d. l. ubi tamen non rectè jus luendi pignus addit: ut supra ad liquidum redactum est. 3. Illa thesis obtinet in iis quæ sunt facultatis & libertatis naturalis: non in illis quæ veniunt ex contractu & obligatione: quia hæc sunt juris magis, quam facultatis, prout ipsa est obligatio: qualis enim est causa, talis effectus. *l. 4. de justit. & jur. & proinde hujusmodi facultates in contractum deductæ, non minus quam ipsæ obligationes & agendi facultas sunt præscriptibiles, hæc Wesembec. dict. loc. quæ habet etiam Bachov. in notis ad Wesembec. tit. de rescind. vendit. cujus verba sunt; Equidem ratione nudi facti, actiones omnes sunt meræ facultatis, quia quis eas sed sine ullo effectu movere potest. Sed quoad effectum præscribendi, quæcunque jure obligationis & conventionis competunt, ineptè dicuntur meræ facultatis. Ego addo 1. nisi ipso contractu actum sit ut aliqua res sit meræ facultatis, quod fit in pacto de retrovendendo. 2. Nisi qualitas & natura rei hoc respuat: Sic servitutes urbanæ utique per contractum constitui possunt, & ex obligatione manant, at tamen per non usum non amittuntur, adeoque possum illis uti vel non uti pro lubitu, nisi facto contrario is qui debet servitutem, suæ rei libertatem usucapiat. *l. 6. l. 7. §. 32. de S. V. P. l. 4. §. ult. de Usucap. cum enim nuda subsit prædii patientia, & ab***

alte-

altero nihil novi contra debitam servitutem fiat, semper videtur adesse patientia. Secus ac in servitutibus rusticis, quæ in factore personæ, quod repetitur, consistunt, adeoque si non repetamus sive non utamur, tempore legibus statuto, amittimus. Dn. Struv. in Syntagm. Jurisprud. Exerc. 13. thes. 57. Habet porro Wesembec. eod. loco. exceptionem, quod ea regula non procedat in iis quæ sunt facultatis privatæ: sed tantum in iis quæ sunt facultatis publicæ, quo de casu loquatur l. 2. ff. de via public. Verum non video, quomodo ea quæ quis jure domini facere potest in suo quatenus possidet, non sint meræ facultatis & privatæ quidem. Verum sat prata biberunt. Deo Ter optimo maximo sit gloria pro concessâ facultate, de rebus facultatis aliquid differendi: porro facultatem, quævis Ipsi grata cupiendi, cupita perficiendi, clementer largiatur.

Mantissa.

I. *Etiam si hodiè Status Rom. Imperii, seu utraq, Hierarchia & ecclesiastica, & politica variè mutarit, adeoque jus publicum (quod, si abstractè consideretur, nec ad certæ alicujus Reip. formam exigatur, rectè etiam Juris naturalis & gentium præceptis acceptum ferri poterit: Etenim aliud est Jus publicum commune cum aliis gentibus, ut jura fœderum, Legationum, belli pacisque: aliud proprium certæ alicujus Reip. v. g. Romanæ: Sic nulla gens eò delapsa est insania, ut non alicujus Numinis timore percellatur, modus tamen, ritus & ceremonia aliter ac aliter se habent) potius ex recentioribus constitutionibus, A. Bulla, Recessibus Imperii (ad exprimendam vim vocis Germanicæ Reichs Abschied / quod recessuri à diatis, quas appellant, sub ipsum tractationum finem, ita decernere soleant, sic dictis. vide latè Limneum lib. 9. de I. P. c. 1. n. 194. & seqq.) sequestratis & projectis illis juris publici regulis, quas Imp. Justi-*

Justinian. in Codice lib. 1. tribus posterioribus & nonnullis Novellis, potissimum proposuit, imbibendum videatur. Verum cum hinc inde in Jure Justiniano, definitiones generales, etiam publicum statum concernentes, quæ inconcussis rationibus se tutantur, entitescant, in usum presentem deduci, & controversis emergentibus rectè accommodari istas posse, credendum opinamur. vide Dn. D. Tabor. in tract. de oblig. successor. in offic. c. 1. n. 1. 2. 3.

II. Dicere, aliquem fratris sui, propriè & verè ita dicti, sororem matrimonio sibi jungere posse, absurdum non est. arg. l. 10. §. 13. ff. de grad.

III. Prudentissimè publico judicio crimen ambitus vindicarunt Romani. l. un. D. & C. de L. Julia ambitus. Quoniam τὸ ἀργυρολογεῖν τὰς ἀρχὰς πάσης ἐσιπνοῦσας προοιμίον τε καὶ πέρας. Nov. 8. præf. ferè in fin. h. e. accipere aliquid à suscepturis Magistratū seu pecunias ex officiis conquirere, omnis nequitia initium est & terminus. vide Dn. Forstn. in not. Tacit. l. 2. ann. 34, 1. nec obstat. l. un. C. de suffrag.

Ad Præcellentem Dominum Respondentem.

Qui cupit immensi sinuosa volumina juris
 Volvere, & ad Themidis sternere templa viam:
Huic magnæ laudis seges hinc succrescit, & olim
 Accedet titulis splendida fama suis.
Macte ergò **CRAUSI** læto certamina juris
 Corde subî, ingenio qui meliore vales:
Victor eris, celebresq; agitans cum laude triumphos,
 Virtuti statues læta trophæa tuæ.

Benevolè adfectu adscripsit

*Fridericus Deckherr, Jctus. Pandect. Prof.
 Ordin. & h. t. Facult. Jurid. Decanus.*

Te

TE laudare volo fratrem, sed vellicat aures
 Istud; quod nemo se benè sanus amet.
Nos sumus ast unus, nam nos facit ortus eosdem:
 Hinc sileo. Et quid opus? Te tua facta probant.
Concinno potius votum, & Feliciter istud
 Concino, (quod priscis dicere moris erat.
Ex animo cedant studia, & molimina quævis:
 Te sive exercet, dulcis amica, Themis:
Seu interdum doctis veterum impallescere chartis,
 Illorum & ritus te didicisse juvat:
Sive per annales per agras & facta Quiritum,
 Gestaque Romulidum grandia nosse cupis:
Denique quicquid agis. Patriæ, cui natus, ut olim
 Sis decori, & mentis des documenta pie.
Huc si non spectes, operatum sacra Camenis,
 Est mulsisse hircum, littus arasse maris.

Frater fratri

Johann. Conrad. Krauß/
 SS. Theol. Stud.

F I N I S.

ULB Halle
006 682 197


3



VDM







ERÆ
TIS,

Academia,

Consultissimo
CKHERRO

inar. & h. t. Fa-
bili,

ptimo,
unii,

Krauß/
is.

NIS.

M
1662, 5
16

